


Disquisitio Theologico-Critica De Mosis Resuscitatione

Halæ Magdeburgicæ: Literis Joh. Christiani Hilligeri, [1723?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862093333>

Druck Freier  Zugang





53

Fa-1092(53)

DISQUISITIO THEOLOGICO-CRITICA
DE

MOSIS
RESUSCITATION

QVAM

AUXILIANTE DEO OPT. MAX
SUB PRAESIDIO

JOH. HULDERICI HEYDEN

S. S. THEOLOG. DOCTORIS MERITISSIMI

EJUSDEMQUE PROFESSORIS PUBL. ORDINARIJ, ILLUS-
COLLEGII REGII EPHORI, POTENTISSIMO BORUSSIE REGI ACONC-
BUS AULICIS ET IN CONSISTORIO DUCATUS MAGD. CONSILIARIJ SOCIETA-

MAGNE BRITANNIE DE PROPAGANDA FIDE MEMBRI

DIGNISSIMI

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI DEVENERAND

AD D. XXV. SEPT. M DCC XXIII.

HORA DECIMA, LOCO CONSUETO,

PUBLICO SED PLACIDO ERUDITORUM EXAMI

SUBMITTIT

AUCTOR

LUDOVICUS KLEINSCHMID,

RINTELENSIS

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPO

DISCURSUS THEOLOGICO-CRITICUS

DE

MOSIS

RESUSCITATIONE

ET

AUXILIANTE DEO OPT. MAX.

SUB TRASSIDIO

JOH. HULDERICI HEYDEN

ET THEOLOG. DOCTORIS MERITISSIMI

PROFESSORIS PUBL. THEOL. ET
COLLEGIUM THEOL. POTENTISSIMO SING. ET ALIACUM
BUS ACADEMIAE THEOLOGICAE AMERINENSIS SOCIETATIS
MEMBRUM

BATHONIAE AETHIOPIAE SUAE

MDCCCXXXV. MDCCLXXXV.

HORA DECIMA, POST PRANDIUM

PUBLICO SED. THEATRO THEATRO

AUCTOR

LUDOVICUS KLEINSCHMIDT

PRINTING

HABE MANDATA
LITTEIS JOH. CHRISTIANI HEYDEN

REVERENDO, PERILLUSTRI, AC GENEROSISSIMO
ADOLESCENTI,

WILH. LUDOVICO
MARQUARDO
A PRINTZEN,

HAVELBERGENSIS BASILICÆ CANONICO, AC HÆREDITARIO I
MINO IN CARO, SEEDORFF, NIELBOCK, ET
GOLWITZ;

V I R I

ILLUSTRISSIMI atque EXCELLENTISSIMI

MARQUARD
LUDOVICI

A PRINTZEN,

AUGUSTI PRUSSORUM REGIS SUPREMI AULÆ MA
SCHALLI AC MINISTRI STATUS INTIMI
CONSISTORII FEUDALIIUM ET ECCLESIIATICARUM RERUM R
GIÆQUE SCIENTIARUM SOCIETATIS PRÆSIDIS
ET DIRECTORIS

NEC NON

REGIARUM ACADEMIARUM OMNIUM CURATORIS SUPREMI
FILIO NATU MAJORI

VIRTUTUM PATERNARUM VERISSIMO EXEMPLARI
AC HÆREDI DIGNISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS DEVOTA MENTE CONSECRAT ET OFFI
LUDOVICUS KLEINSCHMID.



ERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME ADOLESCENS,
PARENTVM, PATRIÆQVE SPES, DECYS ATQVE
DELICIAE!



A est ingenii TVI excellens ratio, ut, et-
iamsi industria omni formetur, valeat id
tamen ipsum suis maxime viribus, quæ
ad inveniendum acutæ, ad repræsen-
tandum uberes, & ad memoriam firmæ sunt
-atque

atque diuturnæ; Hinc fit, ut hac optima indole
annos ætatis TVÆ mirifice antevertas, & sæpenu-
mero doceas illos, a quibus discere debeas. Cujus
quidem rei ego sum ipse testis, qui, cum olim
in Illustri Regio Joachimico Berolini studio-
rum causa morarer, jussu ILLVSTRISSIMI atque
EXCELLENTISSIMI PARENTIS TVI, Te, PERIL-
LVSTRIS ac GENEROSISSIME ADOLESCENS, iis ar-
tibus, quibus prima ætas formari ac imbui solet, in-
stitui atque erudivi. Quanquam enim hæc insti-
tutio ita temperaretur, ut ludus Tibi videretur, a-
bunde tamen perspexi, quam ex tam ILLVSTRIBVS
PARENTIBVS provida natura sobolem produxe-
rit generosam, posteaquam Te, ea, quæ multi per
longam ætatem sibi ægre acquirunt, sanguine PA-
TERNO fere jam possidere clarissimis indicis depre-
hendi. Cum plura hujus rei specimina exhibere
possem, unum saltem addam, ex quo causa differ-

):(3

tatio-

rationis meæ TIBI aliquatenus patefcet. Etenim
quum aliquando in Sacris Tabulis de transfigura-
tione Christi hiftoriam legeres & ex me quære-
res: An Mofes, quem Elia comitatum conſpe-
xerant Apoſtoli, ſuo quoque corpore & non ali-
unde aſſumpto apparuerit? tum temporis qui-
dem ad eam quæſtionem, ob permultas, quas
in illa deprehendebam, difficultates TIBI ſatisfa-
cere non potui. Hæc vero tua quæſtio me mo-
vit, ut in hanc veritatem accuratius inquirerem,
cumque illam præſenti diſſertatione ſatis demon-
ſtratam putaverim, iſtam TIBI dicare atque ILLV-
STRI NOMINI TVO ſacram facere tanto magis
animum induxi, quanto benevolentius TE illam
accepturum perſuaſus ſum; utpote qui veritatis
inveſtigandæ ſis cupidiffimus, neque unquam in
iſto ſtudio acquieſcas prius, donec rem indagan-
dam penitus perſpectam habeas atque cognitam.

Præte-

Præterea me hinc quoque id consequuturum spe-
ro, TE exinde fore certissimum, me, qui nunc,
jubente ita ILLVSTRISSIMO PARENTE
TVO, iter ad TE rursus paro, etiam in po-
sterum in solvendis atque enucleandis quæstio-
nibus TVIS omnem semper diligentiam pro vi-
rili impensurum, nihilque omnino neglectu-
rum, quo demonstrare queam, quam luben-
ti animo educationem ADOLESCENTIS tan-
tæ ac tam eximiæ spei in me susceperim. TE
modo summum Numen per plurimos annos IL-
LVSTRISSIMIS PARENTIBS TVIS saluum
ac incolumem præstet, & quem jam, uti spero
ac vehementer opto felicissime celebrasti NATA-
LEM TVVM, quam læpissime & quotannis fe-
liciozem agere jubeat, ut ita præsens vita læta
TIBI atque futura melior semper quam præteri-
ta contingat, TIBIQUE prospera omnia & di-
gna

gna virtutibus Tuis eveniant, ac confectis tan-
dem multis temporum spatiis liceat TIBI ad ma-
turam felicem fortunatamque senectutem perveni-
re. Præstet DEVS immortalis hoc gaudium PA-
RENTIBVS ILLVSTRISSIMIS Familiæque To-
ti perpetuum atque diuturnum, nec desint un-
quam qui per alias etiam stirpes Virtutem Nomen-
que PRINTZIANVM diffundant. Vale ac fave

PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME
ADOLESCENS

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

Omni pietate ac observantia
addictissimo

Scribebam Hale die, XVII. Sept.
cdo Is ec XXIII.

LVDOVICO KLEINSCHMIDIO.



DE
MOSIS RESUSCITATIONE
DISQUISITIO.

ARGUMENTUM.

HISTORIA Transfigurationis
Jesu Christi Resuscitatio-
nem Mosis adstruit §. I.

Hujus Resuscitationis tempus
probabiliter eruitur §. II.

Objectiones contra hanc re-
suscitationem ordine enumeran-
tur §. III.

Ostenditur (1) Mosen suo, non
fictitio corpore apparuisse §. IV.

Obj. (2) de sepulcro Mosis ex
Deut. XXXIV. proponitur §. VI.

Docetur verba Deut. XXXIV.
non de sepulcro, sed ratione se-
pulture agere §. VII.

Quoniam alias scriptor sacer
sibi ipse contradixisset §. VIII.

Neque ulla causa occultati se-
pulcri Mosatici dari posset. Ubi
vulgaris ratio refellitur, ac se-
laractia reliquias Mosis divi-

no honore prosequi voluissent §.
IX. X. XI.

Antiqua quoque inter Judeos
viguit traditio de Mosis resusci-
tatione §. XII.

Instantiæ satisfactum ex ver-
bis desumptæ Deum sepeliisse
Mosen §. XIII.

Obj. (3) ex Epist. Judæ in me-
dium profertur §. XIV.

Vulgaris interpretatio Com-
matis Epist. Judæ propter mul-
tas difficultates rejicitur §. XV.

Monstratur Judam comma il-
lud ex Zachar. III. desumpsisse
§. XVI.

Convententia loci Zachariani
cum commate Judæ ostenditur
§. XVII.

Dissensus utriusque loci quo-
que adducitur §. XVIII.

Ad removendum dissensum vi-
sio

sto Zacharia paulo pluribus explicatur §. XIX. XX.

Producto quoque in melium illius iraplemento §. XXI.

Docetur unde Judas Angelum Zacharia nomine Michaelis compellaverit §. XXII.

Porro non Jehovam, sed Angelum, Diaboli oburgationem à se removisse §. XXIII.

Inquiritur in causam allegati a Juda exempli §. XXIV.

Et monstratur in eo Diabolum personam Magistratus sustinuisse §. XXV.

Tum declaratur quid sit proprie Corpus Mosis §. XXVI. XXVII

Obj. (4) profertur, de Christo Mortuorum primogenito §. XXVIII.

Ad hanc objectionem respondetur §. XXIX.

Et distinctius enarratur, quâ ratione Christus & Primitiæ Dormientium §. XXX.

Et primogenitus mortuorum nominetur §. XXXI.

Lux affunditur. Colof. I. §. XXXII.

Obj. (5) De silentio scripturæ, non nocet Resuscitationi Mosis. Nam occultari debuit hæc historia §. XXXIII.

Multa quoque in sacris literis præterita scimus memoratu digna, sed aliunde cognoscenda, quorum Catalogus nectitur §. XXXIV.

Epilogus §. XXXV.

§. I.

Historia
Transfigurationis
Mosis resuscitationem
adstruit.



IN JUCUNDA DE TRANSGURATIONE JESU CHRISTI HISTORIA, quam Sancti Evangelistæ, MATTHÆUS XVII. & LUCAS IX. nobis commemorant, MOSEN quoque, Illustrem Gentis Hebraicæ Legislatorem, cum Servatore sermones miscentem offendimus. Cum illa historia meram lucem de se spargat, & nullis obscuritatis nebulis involvatur, utique manifestum est, Mosen, cujus obitum ex Deut. XXIII. perdiscimus, mortuorum cœtum relinque-

re debuisse, ut præsentem se Servatori Jesu ac tribus Apostolis sistere potuerit. Quoniam autem neque antiqui, neque novi Fœderis Tabulæ ulterius quidpiam de *Mosis resurrectione* monent, dignum nobis apparuit argumentum, cui illustrando diligentiam nostram impenderemus, imprimis quia nec dum quendam conspeximus, qui data opera idem pertractaverit. Sed ad rem statim accedamus.

§. II.

OMNIBUS probe perpensis, duo tantum nobis temporis puncta relinquuntur, quibus Mosis resurrectionem affigere licebit; nimirum *punctum*, quod Mosis mortem exceperit, & *punctum* quod apparitionem ejus in historia transfigurationis antecessit; alterutri horum Mosen ad vitam ex morte vocatum statuere debemus. Nullam enim rationem, ne probabilem quidem, videmus, imo nec dari posse existimamus, quæ nos cogat, ut Mosis resurrectionem illi spatio, quod inter duo, quæ diximus, puncta intercessit, assignemus. Jam si ipsa puncta sub examen vocamus, in priori longe majus momentum, quam in altero, deprehendemus. Quod si enim Moses paulo ante *Transfigurationem* Servatoris ex sepulcro exiit, sique istud ingens miraculum, uti credi decet, propter eundem Servatorem accidit, utique profundum Evangelistarum silentium de hoc mirabili facto magnam omnibus admirationem excitare debet, quæ cessat, simulac in eam sententiam descendimus, Mosen, post „quam jussu DEI O. M. naturæ legi satisfecit, ejusdem „Omnipotentis DEI jussu, vitam recepisse, & statim anima pariter ac corpore locum suum inter cœlites occupasse.

Hujus Resurrectionis tempus probabiliter eruitur.

§. III.

*Objectiones
contra hanc
Resuscita-
tionem fa-
cta enuncie-
rantur.*

HÆC vero sententia, quæ ex historia Transfigurationis clara est, nihil in sese absurdi continet, & ab analogia fidei nullo modo dissentit, cum nullis argumentis egere videatur, haud parvis tamen difficultatibus oneratur, quas omnes ordine enumerabimus, & quas quanto melius e via removebimus, tanto majus pondus ac firmamentum Resuscitationi Mosis accedet. (I.) Nonnulli contendunt: Cum Mosis anima, corpore aliunde assumpto vel imaginario, Apostolis apparere potuerit, frustra laborem, in adstruenda Mosis resuscitatione, impendi. (II.) Alii DEUTERONOMII XXXIV. *Caput* objiciunt, quo *Mosem non solum mortuum, sed & sepulture conditum disertim affirmetur.* (III.) Plures ex PAULO COLOS. I, 18. CHRISTUM nobis, *tanquam PRIMOGENITUM mortuorum representabunt, ante quem nemo mortalium coelum cum corpore intraverit.* (IV.) Quidam ex Epist. JUDÆ *litem Satane nobis in memoriam revocabunt, cum Michaelē Archangelo propter Corporis Mosaici possessionem decertantis.* (V.) Pauci denique per *silentium scripturæ*, nihil de Mosis resuscitatione memorantis, nos ad silentium adactum iri existimabunt. En Tibi cumulum objectionum, quibus nunc ut ordine respondeamus, pro viribus operam dabimus.

§. IV.

*Offenditur
Mosen suo,
non falso
aut ficticio
corpore ap-
paruisse.*

(I) PRINCIPIO dubitamus, an illi multum audienti sint, qui de peregrino Mosis corpore vel Phantasmate cogitant, & profecto miramur, doctissimum OLEARIUM in *Observat. ad Matth: p. 486.* ita pronuntiasse: *Nihil incommodi saltem ego habere existimem, si Mosis animam hic apparuisse dicamus, eo modo, quo sancti Angeli,*

ubi

DISQUISITIO.

ubi visum fuerit Deo manifestantur, ex quorum apparende modo de Mosis quoque apparitione ista tutissime statui existimem. Nam omnia fere Evangelistarum verba aperte clamant, Mosen non fictitio, aut supposititio, sed vero & sibi proprio corpore apparuisse. LUCAM modo consulamus Cap. IX, 30. & seqq. α) Ille igitur asserit, non animam Mosis, sed MOSEN sanctis Apostolis visum. Nescimus an Mosis nomen soli animæ conveniat. Moses legislatorem gentis Hebraicæ, totum hominem, non partem ejus, animam nimirum innuit. Corpus porro aliunde mutuo acceptum, aut imaginarium, partem Mosis non constituebat, ut totum, salva veritate, Moses diceretur. β) Mosis socius datur ELIAS. De Elia corpore cum nemo dubitet, cur de Mosis illo dubitabimus; præsertim quoniam ambo uno eodemque nomine αὐδαίμων virorum comprehenduntur. Moses igitur, si æque adfuit ac Elias, si æque Vir ac Elias, utique suo non adfuto corpore in beato hoc cætu comparere debuit. γ) Porro Elias Mosen, dum viveret, neque fama neque dignitate superavit, scriptura affirmante, Prophetam Mosis similem postea nunquam surrexisse. Quod si vero Elias suo, Moses autem peregrino corpore adfuit, utique ille gloria Mosen immane quantum superasse dicendus est; cujus prærogativæ nullam nec rationem nec fundamentum videmus, præsertim quia Lucas inter hos duos Viros nihil ne vel minimi discriminis ponit.

§. V.

δ) EOSDEM porro Viros Lucas narrat apparuisse εὐδοξία, gloria vestitos & resplendescentes, ea videlicet qua beati corporibus receptis per resurrectionem aliquando gaudebunt. Nam Servator optimus, dilectissimis suis A-

quidam?
laia
et nra
quæ 16
si apli
alio corpore
ning vna
quæ est
partem eo
gestituri
et dicit
apparetur
dicitur
et dicit
et dicit
et dicit
et dicit

Argumenti
ejusdem
continuatio.

6 DE MOSIS RESUSCITATIONE

postolis non solum Majestatis suæ, sed & æternæ beatitudinis illustre specimen in hac transfiguratione exhibere voluit. Dicemusne, animam Mosis hac gloria effuluisse? verum Apostoli, non animam, quæ videri nequit, sed *virorum corpora* conspexerunt. Quod igitur viderunt, istud *gloriosum* apparuit. Nunquam autem credemus, Mosen corpore peregrino gloriam illam ostentasse. Nam tunc non fuisset Mosis, sed alieni cujuspian gloria, & in ignominiam æternæ beatorum gloriæ cedit, ut corpus mox mox abjiciendum, & inter pulveres spargendum, illa exornatum statuamus. *Phantasma* autem, divino illo splendore effuluisse, si quis credere malit, esto, nos ne cogitationem sustinemus. (s) JESUS CHRISTUS, uti diximus, & suam Majestatem, & beatorum gloriam exemplis illustrioribus ostendere voluit. Quamnam vero exempli vis, si Moses habitu *non suo* sese repræsentasset, aut si divinus Servator oculis Apostolorum spectro quodam vel phantasmate illufisset. s) Denique, quando OLEARIUS existimat, *Mosen eodem modo apparuisse, quo Angelos aliquoties Deus manifestaverit* &c. sufficit huic opinionioni refellendæ, Angelorum apparitiones multis exemplis scripturæ confirmari; nullum autem exemplum animæ sese manifestantis occurrere. In rebus autem ejusmodi naturæ, quas merito suo obscurissimis accensemus, solis sanctorum oraculorum vel effatis vel exemplis standum existimamus. Faceffant ergo ex pulcherrima historia, qua imaginem gloriæ cœlestis jucundo spectaculo contemplamur, faceffant, inquam, spectra, umbræ, & corpora supposititia omnia. Hic nihil nisi veritatem quarimus.

§. VI.

(II) Sic ejecto phantasmate ad alteram objectionem *Alteræ ob-
Ezio de Moſis*
 progredimur, petitam ex DEUT. XXXIV. quo diſertis *ſepulcro cla-
re proponi-
tur.*
 verbis memoratur: *Moſen a Deo SEPULTUM & SE-*
 PULCRI locum ad hunc usque diem neminem mortalium
cognoviſſe. Hinc enim in nos telum haud imbelles trin-
 gitur. Quod si Moſis cadaver revera Deus in humum
 condidit, sique monumentum ejus ſepulcrale per multa ſe-
 cula duravit, Moſes utique poſt mortem extemplo ab
 inferis non reſurrexit. Cui enim bono Moſi juſta pere-
 giſſet Deus, qui nihil unquam fruſtra aut fecit aut faciet.
 Certe actum eſt de noſtra ſententia, ſi hæc obſectio fir-
 mo talo innititur. Igitur evolvamus ipſas Tabulas cœ-
 leſtes, in quibus hæc nobis verba proponuntur DEUT.
 XXXIV, 6. ויקבר אותו בני בארץ מואב מול בית פעור
 : והלא ידע איש את קבורתו עד היום הזה: Quæ Germa-
 nice ita vertuntur: *Er begrub Jhn im Thal, im Lande der
 Moabiter; gegen dem Hauſe Peor, und hat niemand ſein
 Grab erfahren biß auf den heutigen Tag.* Sic Vulgata: *Et
 non cognovit homo SEPULCRUM ejus, usque in præſentem
 diem.* Et TREMELLIUS: *Neque novit quiſquam ſepulcrum
 ejus in diem hunc.* Et CLERICUS: *Neque quiſquam ad ho-
 diernum diem ſepulcrum ejus novit.* Et. LXX. Καὶ ἐν εἰδεν
 εἰδεν τὴν ΤΑΦΗΝ αὐτῆ εὖς τῆς ἡμέρας ταύτης. Sed quid
 multum verſiones congerimus, in quarum nulla auxili-
 i quidpiam nobis ſperandum; omnes enim *ſepulcrum* no-
 bis Moſaicum digito quaſi monſtrant, quo ſtante iterum
 dicimus de noſtra ſententia actum eſſe.

§. VII.

ACCURATIUS igitur ipſa verba authentica expen- *Verba Sa-
cra Deut.
XXXIV,
ſacri*
 dimus, deprehendimusque nullum interpretum, mentem

non de sepulchro sed sepultura Mosaica ratione agunt.

facri scriptoris recte, & uti circumstantiæ requirebant, expressisse. Scribitur, neminem cognovisse קבורתו, quod omnes transtulerunt, *sepulcrum ejus*. Sed קבורה gemina significatione gaudet. Denotat enim primo *sepulcrum* i. e. locum ubi quispiam humo conditur. Sic Gen: XXXV, 20. קבורת רחל *sepulcrum Rachelis*. Deinde notat *sepulturam* i. e. rationem & modum, quo quis sepelitur. Deus Jehojakimo Judæorum Regi hæc minatur Jerem. XXII. 18. Eum קבורת המור *SEPULTURA ASINI sepultum iri*. Asino funus non ducitur, neque ejus cadaver in terra reconditur. Sensum igitur comminationis Divina hunc fundit: *Regi eandem sepulturæ rationem eventurum, quam Asinus consequitur*. Id est, Regem plane non sepultum, sed cadaveris Asinini instar in agrum obiter projectum iri. Hanc significationem verbis sacris, quæ de Mosis obitu loquuntur, inesse putamus. Quæ ergo sic in Latinum idioma transponimus: *SEPELIIT QUIDEM DEUS MOSEN, sed MODUM & rationem hujus SEPULTURÆ ad presentem usque diem nemo mortalium cognovit*. Germanice: *Gott begrub zwar den Mosen, aber die Art und Weise wie Er Ihn begraben, hat nie kein Mensch, bis auf den heutigen Tag, erfahren*. Ex qua versione manifestum est, tantum abesse, ut verba sacra nostræ, quam defendendam suscepimus, sententiæ adversentur, ut eandem mirabilem in modum confirmet ac stabiliant.

§. VIII.

Quod Argumentis ostenditur. Arg. la. Contradictione

Nunc enim rationes nostræ versionis in medium proferemus, ne quidpiam hic desideretur. I. Si קבורה heic loci per *sepulcrum* exponimus, sacrum scriptorem secum ipso commitemus, & a contradictionis vitio liberabera-

berare non possumus; Nam accuratissime & multis circumstantiis nobis describit *locum mortis & sepulcri Mo-* *saiici*, & nihilominus scripsisse creditur: *Neminem ad presentem usque diem sepulcrum Mo-* *sis cognovisse.* Moses, ex Campesribus territorii Moabitici in montem *Nebo*, & quidem in verticem illius montis *Pisga* deducitur, ex quo prospectus late, praesertim Jordanem versus, patebat; ibi dicitur Moses obiisse, & sepultus in *Valle*, videlicet illius montis *מול בית פעור* juxta, vel ex opposito *Beth-Pearis*, quae ipsa Vrbs cum a monte *Nebo* haud procul absuerit, & quidem Jordanem versus, quorum ad Jerichuntem prospici poterat Deut. IV, 46. patet utriusque clarissimis indiciis, locum sepulcri & monumenti *Mosaici* fuisse descriptum & veluti digito ostensum; Ut adeo scribi eodem capite non potuerit, *sepulcrum Mo-* *sis neminem scivisse*, quod modo tam clare ostensum erat. Omnis difficultas in auram evanescit, simulac nostra interpretatio admittitur.

§. IX.

2) DEUM OPT. MAX. Mosen caelo dignum *Arg. 2. a* *causa obi-* *tus Mosaici.* judicasse, res in transfiguratione gestae satis evincunt. *Mors* igitur *Mosis* *mysterio* suo non carebat. Nimirum causa, quae impediēbat, quo minus Moses terram *S.* ingrederetur, oberat quoque, ne vivus anima & corpore in caelum elevareretur. Lex quam Moses dederat, mortem undique secum trahebat. Legislatori igitur ob eandem legem moriendum erat, ne Ecclesia *Judaica* sinistro conceptu de virtute Legis imbueretur, per quam nemo mortalium in statu naturae lapsae salvari poterat. Deus igitur sapientissimus consultum duxit, ut

B

Judæis

IO DE MOSIS RESUSCITATIONE

Judæis fata Mosis post obitum celarentur. Hinc scriptum est, *sepeliendi rationem neminem cognovisse.*

§. X.

Arg. 3. abignorata alias causa obitus Mosaici. Vbi vulgaris ratio occultari sepulcri refellitur.

(3) Hoc argumentum si quispiam admittere nolit, ille nobis causam alleget, cur tanta cura tumulum Mosaicum ab oculis hominum Deus subtraxerit? cum alioquin illustrium Virorum tumbæ, honorandis defunctorum memoriis, in loco publico collocari soleant. *Ais, ne tanti Viri reliquiis superstitiosus cultus deferretur, & Israelitæ ad Idololatriam satis proni Mosen pro Deo colerent.* Sed nos hanc rationem, veluti nullius momenti plane rejicimus. Nam α) Judæos, ut ut Idololatriæ sub V. T. satis deditos, *reliquias* ullius hominis unquam coluisse, nullo aut argumento aut exemplo probabitur. Habebant ex sui medio Viros sanctissimos, & maximi Nominis, Mosis si non anteponendos saltem æquiparandos; *Abrahamum* ex gratia, quo progenitore potissimum gloriabantur, *Isaacum, Jacobum, Josephum, Josuam, Samuelem, Davidem* & horum conditoria omnia probe noverant. Nihilominus horum reliquias nunquam aut tetigisse eos, aut loco movisse, multo minus de iisdem adorandis cogitasse, legimus. β) Quamquam igitur locum Mosaici sepulcri exacte scivissent, absit tamen, ut statuamus, eosdem Offa Mosis divino honore voluisse prosequi. Nam legimus *DEUT. XXXIV. Israelitas Ducem suum jam defunctum per 30. dies deflesse.* Videlicet, quem flebant, illum mox Deorum numero interere meditantur?

§. XI.

Ejusdem argumenti continuatio.

γ) Post legem latam omnia cadavera Judæis impura censebantur, adeo, ut qui mortuum tangeret, impuri-

puritatis labem contraheret, & a cœtu sacro excluderetur. Cum lege igitur cæremoniali cultus reliquiarum nullatenus subsistere poterat, ut Judæis Mosis ossa veneraturis simul de legis Mosaicæ abrogatione cogitandum fuisset. Abeant ergo hujusmodi ratiocinia, & certum esto, nos veram occultati sepulcri vel sepulturæ potius Mosaicæ rationem reddidisse.

§. XII.

§) ANTIQUA quoque inter Judæos traditio viguit, de Mosis inter cœlites statim post mortem assumptione, quæ argumenti instar esse potest. Audiamus JOSEPHUM sine Libri IV. Antiquit. hæc referentem: MOSES salutato Eleazaro & Josua vēq̄es αὐτῶν ὡς ἄντῳ ἁγίῳ, ἀφῄκεται, nube ocynus super ipsum comparente, disparuit. TARGUM Cant. I. 5. Moses Magister eorum ascendit ad firmamentum & posuit pacem inter eos & Regem eorum. HIERONYMUS Comment. in Amosum Cap. IX. Ascendit cum Mose, cujus sepulture locus, quia in cœlum ascenderat, non potuit inveniri. Quam traditionem ex Judæis hausisse Hieronymum nihil vetat. Non jam excutiemus, quatenus hæc cum sacris literis consentiant. Sufficit ostendisse, inter traditiones Veterum non ignotam fuisse illam de MOSIS in cœlum ascensione.

Arg. 4. Ab antiqua traditione.

§. XIII.

INSTABIS, at nihilominus diserte affirmari, Mosen a Deo SEPULTUM esse; sepeliri autem sepulcrum poscere, & præterea locum sepulture multis verbis determinari. Respondemus, CAPUT ULTIMUM DEUTERONOMII Mosen ipsum non exarasse indubiæ veritatis habemus; Nam neque Moses fata post obitum sua chartæ mandare, neque idem sepulturam ad hunc us-

Instantie occurritur, ex verbis sacris desumptæ: Deum Mosen sepeliisse

12 DE MOSIS RESUSCITATIONE

que diem ignoratam, scribere, neque tandem affirmare potuit, Prophetam sui similem non amplius in Israele futurum, qui DEUTERON. XVIII, 15. scripserat: *Deum Prophetam sibi similem olim excitaturum.* Iam porro extra dubium ponimus, neminem mortalium Mosis, dum jussu Dei animam exspirabat, adstitisse, uti ex allegato *Deuteronomii Capite* manifestè liquet. Neminem ergo de fati Mosis post hujus mortem aliud scire potuisse, quam id, quod Deus volebat, ut Ecclesiæ Judaicæ innotesceret; nimirum, propter rationem superius §. IX. allegatam, MORTEM MOSIS. Tantum igitur Vir sanctus, qui Deuteronomio caput novissimum adjecit, perscribere nec ulterius procedere potuit. Caterum phrasis, a Deo sepeliri, longe præstantius quid & excellentius innuit, quam quidem vulgo putatur. Deus non est mortuorum sed viventium Deus, nec mortis sed æternæ perennisque vitæ Auctor; sepeliri igitur a Deo, non est in terram condi, & cum pulvere commisceri, sed illic loci repone, nullum ubi morborum genus est, ubi nulla fatigat cura animos. Hic enim est exequiarum divinarum exitus, ut funus non in terrestri monumentum condatur, sed recta in cælum delatum, animæ suæ reddatur. Beatum, quem ita manus Dei T. O. M. sepeliunt.

§. XIV.

SUPERATA etiam hac difficultate, illi in medium prodeant, quos jam e longinquo EPISTOLA JUDÆ armatos conspeximus. (III.) Cum enim ille commate 9. scribat: *Diabolum cum Michaele Archangelo ob cadaver Mosaicum ferram contentionis reciprocasse*, inclamabunt nobis: Judam ergo funditus nostram sententiam destruere. Quoniam si Diabolus de Corpore Mosis potuit certamen inire,

*Objectio III.
ex Epist. Juda
de proponi-
tur.*

„inire, istud in cœlum esse sublatum statuere non possumus.
 „Nam in cœlo nullum Satanæ locum nec potestatem relinqui. Momento suo non videtur hæc objectio destituta, & præterea *comma* istud *Jude* inter difficiliora s. scripturæ loca sedem meretur. Igitur paulo accuratius in ejus verum sensum inquiremus.

§. XV.

VULGARIS opinio de Diabolo sibi defuncti Mosis *Vulgaris Ju-
 da v. 9. ex-*
 cadaver vindicaturus multis & gravissimis dubiis obrui-
 tur. α) JUDAS Apostolus manifeste *commate* 9. ad hi-
 storiam quandam V. Testamenti alludit, ajens: *Michael* *difficultates*
autem Archangelus, & te QUANDO contendit de corpore *rejicitur.*
Mosis. Istud *OTE* rem notam & alibi commemoratam
 innuit. Atqui in toto V. T. ne *yeu* quidem de pugna hac
 & contentione diabolica propter cadaver Mosis legitur.
 β) Deus ipse *T.O.M.* Mosis exequias celebrasse fertur; cum
 Deo igitur Diabolo fuisset expoſtulan- dum. γ) Neque
 enim dicitur, Deum eorum funeris Michaeli Archan-
 gelo demandasse. δ) Neque Dæmoniorum Principi ul-
 lum in sanctorum virorum corpora jus concedimus.
 ε) Neque causam ullam idoneam cognovimus, ob quam
 Diabolus tantopere Cadaveri Mosaico inhiaverit. Nam
 quæ vulgo citatur, ut illud adorandum Israelitis propone-
 ret, nullius est ponderis, quoniam Israelitas a *λεψανοςεία*
 abhorruisse superius demonstravimus. ζ) Sed ponamus,
 Satanam victo Michaeli Mosaicum cadaver extorsisse,
 quid nam facturus erat cum putrescente corpore Diabo-
 lus? In medium videlicet gentis Hebrææ proditurus &
 proclamaturus: O Israelitæ! en vobis illius corpus, qui
 vos tanto labore ex Ægypto deduxit, hoc adorate. Ap-
 age sermonem! η) Ais Satanam modo voluisse Judæis se-

pulerum ostendere, ut illic adorandis Mosaicis reliquiis copiam haberent. Cur igitur cum Michaële de corpore & non potius de *sepulcro* contendit. Alias jam præteribimus rationes, cum hæc satis abunde conficiant, vulgarem interpretationem versiculi allegati verum sensum minime tetigisse.

§. XVI.

Comma Judæ desumptum est ex Zach. III.

NEQUE etiam nebulas hujus difficillimi loci unquam dispellemus, nisi eidem lucem ex *V. Testamenti Tabulis* accendamus, ad quas nos ipse JUDAS manifeste ablegat per voculam *ὄρα* quando uti §. XV. vidimus. Igitur into V. T. nihil occurrit, quod cum loco *Judæ* convenientiam aliquam habet, quam id, quod legimus Zach. III, I. & seqq. Exscribamus prius locum: ex versione TREMELLIANA: *Postea ostendit mihi Josuam sacerdotem maximum, stantem coram ANGELO Jehovæ & SATANAM stantem ad dexteram ejus, ut adversaretur ei. Dicebat autem Jehova Satanae: INCREPET JEHOVA TE, O Satan! increpet, inquam, Te Jehova, qui elegit Hierosolymam; nonne hic est titia, ereptus ex igne? Josua autem quum esset indutus vestibus sordidis, & staret coram ipso Angelo, respondens Angelus allocutus est eos, qui stabant coram, ut amoverent vestes sordidas ab eo &c.*

§. XVII.

Convenientia loci Zachariani cum commate Jude ostenditur.

OSTENDAMUS nunc, hunc *Zacharie* locum in multis cum commate *Judaico* consentire. 1) ZACHARIAS nobis exhibet *Angelum Jehovæ & Satanam* partes historiae principes. Eisdem quoque apud JUDAM reperimus nempe *Archangelum & Diabolum*. 2) ZACHARIAS nobis has partes veluti secum ob aliquam rem *litigantes* proponit; JUDAS quoque ostendit nobis *Archangelum* τῶ δὲ διαβόλου

βόλω διακρινόμενον cum Diabolo disceptantem. 3) ZACHARIAS ait, Angelum Satanam his verbis increpasse: יהוה בך יגער INCREPET TE JEHOVA. Apud JUDAM Archangelus in increpando Diabolo iisdem verbis utitur: Επιτιμήσαι σοι Κύριος, INCREPET TE DOMINUS. Non ovum ovo est similius, quam visio Zachariæ narrationi Judaicæ.

§. XVIII.

SED nunc quoque videamus, in quam re duæ hæc narrationes dissentiant: 1) ZACHARIAS nobis memorat tantum *Angelum Jehovæ*; at JUDAS habet *Michaelem Archangelum*. 2) Zacharias ait, Jehovam increpasse Satanam; at JUDAS *Archangelum* idem fecisse. 3) ZACHARIAS innuit contentionem Angelum inter ac Diabolum ortam esse propter *Josuan* summum Pontificem; at JUDAS affirmat, illos contendisse *περὶ τῆς Μωσέως σώματος, de Corpore Moſis*. In veram Judaici commatis interpretationem non penetrabimus, nisi conciliatis his utriusque textus differentiis; ad quam rem opus est, ut prius mentem *Zachariæ* excutiamus & distincte proponamus.

Dissensus utriusque loci adducitur.

§. XIX.

ZACHARIÆ igitur ostenditur Josua, Pontifex Maximus, ille scilicet, qui finitis septuaginta annis *Babylonice captivitatis*, post promulgatum Cyri edictum, una cum Zerubabele principatum gentis Judaicæ susceperat. Ille Josua sistitur tanquam accusandus a Satana, stante ad dextram ejus *לשמו* ad accusationem parato. Aderat quoque Angelus Jehovæ, Judicis partibus functurus, & accusanti pariter ac reo aures accommodaturus. Causæ accusationis Diabolicæ diversæ eruuntur. Primam dabant *sordida Josuæ vestimenta צואים בגדים* v. 4. ex quibus

visio Zachariæ fusus exponitur.

bus Satanæ evincere studebat, Josuam Pontificatu prorsus indignum esse. Alteram suppeditabant, *populi reversi peccata*, ob quæ adversarius ille generis humani putabat non committendum esse, ut Judæi in novam Rempublicam coalescerent. Id conjicimus ex vers. 3. ubi Angelus inquit, *Deum elegisse Hierosolymam*. Et ex v. 9. ubi legimus, *Deum iniquitatem totius terræ die uno aboliturum*. Iam accusationis libellum Diabolus hunc in modum circiter concepisse dicendus est: Se plane nescire, cur Deus populo Judaico tantopere faveat, ut illum in integrum restaurare velit. Esse populum tanto beneficio prorsus indignum; utpote Babylone in consortio Ethnicorum innumeris vitiis & peccatis infectum. Neque impiam gentem ducibus gaudere melioribus. Videat modo Josuam, quem summum Pontificem salutem, quam sordidus ille incedat contra Moisaicas leges, & quam plane ineptus magno illi muneri haberi debeat. Permittat igitur Deus hunc populum sceleribus suis, permittat ut à gentibus finitimis vexetur & funditus destruat.

§. XX.

*Ejusdem
argumenti
continuatio.*

Ad hanc invidiosam Satanæ accusationem sanctus Angelus, commissa Deo reprehensione, quam ille malignitate sua incurrerat, declarat: Benignam Dei voluntatem esse, ut Judæi, tanquam populus suus, de novo in Civitatem & Rempublicam coirent; removisse igitur obstacula, quæ Satanæ commemoraverit, nimirum sorditiam vestium summi Pontificis, & Gentis iniquitatem; & uti illum functioni suæ aptum fecerit, ita Populi quoque defensionem Deum suscepturum, & eidem tranquillitatem præstiturum, vide v. 4. 9. 10.

§. XXI.

§. XXI.

CAETERUM quæ hic Propheta per visionem repræsentantur, revera quoque implementum suum habuerunt. Satanas enim quo scopum attingeret, Satrapas Persarum, & finitimas gentes, Ammonitas, Moabitas, Samaritanos impulit ac instigavit, ut omnibus viribus restorationi Judæorum obsisterent, & eandem impedi-
rent. Ex altera parte fideles & pii inter Judæos precibus suis auxilio Angelorum a Deo impetrato, consilia Diabolica irrita effecerunt, & nequicquam obnitente Satana Hierosolymam ædificarunt. Exemplum manifestum hujus rei, imo ipsius historię eventum, reperimus ESRÆ V. Ubi quum mandato Dei Josua cum cæteris Populi Principibus templo perficiendo manus admovissent, statim accurrerunt, veluti tot Satanæ emissarii, præfecti Perfici, operi moram injecturi. His vero Duces Judæorum, Majestatem Regis Persarum, cujus imperium agnoscere debebant, reveriti, neque vi aut armis, neque injuriis aut conviciis resistendum esse censuerunt; sed permissa Numini vindicta, blandis verbis ita eorum animos permulserunt, ut hi ipsi ad Regem Darium scriberent, & sententia ejus explorata, exstructionem Templi non ulterius impedirent. Etiam leviter & obiter ad historię hujus circumstantias attendentibus patefcet, visionem Zachariæ in eis exacte implementum suum accepisse.

Implementum visionis Zachariæ.

§. XXII.

NUNC progrediamur & ostendamus, dissensum Judæ non impedire, quo minus apud Zachariam idem negotium commemoretur. I) Quem Zacharias indefinito nomine מלאך יהוה *Angeli Jehovæ* designat, hunc Judas nomine suo proprio *Michaelis Archangeli* compellavit.

Dissensus inter Zachariam & Judam tollitur.

lavit. Ubi merito quaestio movetur, unde ad Judam notitia hujus nominis pervenerit, cujus nullum in Zacharia vestigium existat? Quaestionem expediet Illustrissimus Prophetarum DANIEL, qui *Michaelis* tanquam Principis populi Dei CAP. X, 21. & XII, I. meminit. Cum enim hinc appareat, Michaelem illum Populi & Reipublicae Judaicae curam gessisse, cum itidem pateat Angelum Zachariae eodem esse munere functum, edocemur, Judam ex collatis scripturae locis Angeli nomen perdidicisse. Est igitur in hac re Zachariam inter & Judam non solum nihil discriminis, sed Judas quoque haud parum lucis Zachariae hac sua diligentia accendit.

§. XXIII.

*Ejusdem
argumenti
continuatio*

2) JAM quod Judas ait, Satanam a *Michaele* reprehensum, cum Zacharias idem *Jehovae* adscribat, nemini scrupulum injiciet, modo cum aliqua attentione textum Zachariae perlegenti: Nam in visione Zachariae nullus comparet praeter Angelum, Satanam & Josuam. Nemo igitur sententiam pronunciare poterat praeter *Angelum*, praesertim propter absurdum Orationis, ori Dei O.M. minime convenientis. Deusne enim Satanam manifestis verbis objurgare non auderet? Apage absurdum! Nam increpandi munus in *Jehovam* rejicitur. *Jehova* autem id a se in *Jehovam* transferre non poterat. Quod plerique interpretum hic de *Christo* cogitant, qui & *Angelus Jehovae* & *Jehova* ipse vocari possit, istud non satisfacit. Quoniam *Christus*, ipse *Jehova*, Angelis omnibus longe est excellentior, cur ille reveritus esset Satanam reprehendere? Ergo hic statuendum est, *Zachariam* vulgarem regulam: *Quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse putandus est*, secutum, ita scripsisse, *Jehova* dixit, id est, *Angelus* mandatu *Jehovae*

hōvx. Conf. *Jud.* II, I. 2. Nec ergo hic differentiam sermonis reperimus.

§. XXIV.

3) SUPEREST tertia & maxima, uti plerisque videtur, difficultas, de *Corpore* videlicet *M-sis*, cujus in *Zacharia* nulla plane observari dicitur mentio. Antequam etiam hanc e via removeamus, paucis inquiremus in veram rationem, cur *Judas* hujus litis *Michael* inter & *Satanam* meminerit. *Judas com.* 8. differuerat de impio hominum genere, *κυριότητα imperium & magistratus* floccipientium, & *δόξας* personas in suprema dignitate constitutas blasphemantium. Vide quoque *2. Petr.* II, IO. II. Ad retundendam horum hominum impieratem *Sanctus* *Apostolus* notabile exemplum producit *Michaelis* *Archangeli*, non ausi in certo quodam litigio *Satanam* increpare; Unde manifeste apparet, *Diabolum* in hac lite non suam, sed alienam personam representare. *Apostolus* enim, ut clarius loquamur, contra *impios* nonnullos demonstrandum in se susceperat, magistratum veluti a *Deo* constitutum, honorandum esse. Et ideo in medium profert certamen quoddam *Diaboli* & *Archangeli* ob *cadaver M-sis* exortum, in quo certamine *Michael* *Diabolum* increpare non ausus sit. Quid quaesumus hoc exemplum ad rem facit? Quis probat *Magistrati* honorem esse exhibendum? Ergone *Diabolum* pro *Angelorum* bonorum *Domino* & *Principe* habebimus? Sed porro unde ostenditur, vetitos esse *Angelos* *Demon*es reprehendere, quos nos *Christiani* quovis *maledictorum* genere quotidie laceessimus, & quidem id nos jure posse credimus. Nullum enim tam grave existat *convitium*; quod *Diabolo* *πλανῶντι τὴν οἰκουμενὴν ὅλην*, qui ad

Inquiritur
in rationem
exempli a
Juda alle-
gati.

nocendum toti generi humano, tanquam Leo rugiens, obambulat, non convenire putamus. Igitur, si sensum habent verba Apostoli, sique volumus, ut exemplum probet, quod Judas intendit, utique statuendum superest, *Diabolum hic personam Principum, Regum, aut magistratus gestasse*, populo Dei adversantium, quos Angelus increpare noluerit, probe intelligens, quemvis etiam Ethnicum Magistratum a Deo esse constitutum. Hoc ipsum vult PETRUS 2. *Epist.* II, IO. II. unde Judas sua certissime desumfit, & quæ ideo Judam mirum in modum illustrant: *Novit Dominus — injustos in diem judicii poenas duros servare; maxime vero eos — qui DOMINATUM (κυριότητα) contemnunt, qui non horrent DIGNITATES probri incesse.* Quum ipsi ANGELI, qui sunt viribus ac potentia majores, non ferant adversus eos maledictionis judicium.

§. XXV.

*Ostenditur
Diabolum
Personam
Magistra-
tus repræ-
sentasse.*

NUNC ergo tandem discimus, tam in visione Zachariæ, quam apud Judam, *Angelum* populum Judæicum, & *Diabolum* personam Regum Persiæ & Præfectorum ejus repræsentasse, vid. Dan. X, 13. & hanc veram atque unicam causam esse, cur Angelus Diabolum increpare noluerit, quoniam non tam Diabolo, quam personis Regiis hanc injuriam intulisset. In qua demonstratione non solum ostendimus, Judam apposite exemplo hoc esse usum, sed novam inter Zachariam atque Judam convenientiam deprehendimus, quemadmodum ex iis, quæ §. XXI. diximus satis patet.

§. XXVI.

*Quid Corpus
Mosis expli-
catur.*

EVICISSE his nos credimus, *Judam* exemplum suum ex Zachariæ visione depromsisse. Cum vero apud Zachari-

Zachariam CADAVERIS MOSAICI nulla obveniat mentio, neque ob id lis exorta dicatur, utique manifestum est, apud Judam per *σῶμα Μωσέως* longe aliud, quam ossa Mosis, relinqui intelligenda, quod nunc tandem expiscabimur. Superius demonstravimus §. XIX-XXI. Angelum cum Diabolo disceptasse de *Josua Pontifice*, deque constituenda iterum *Judeorum Republica*. Hæc duo ad unum caput referentur, ad ERECTIONEM videlicet REIPUBLICÆ, cuius Princeps tum temporis esse poterat JOSUA. Jam vero, quid erat *Respublica Judeorum* aliud quam *Σῶμα Μωσέως* CORPUS MOSIS, Civitas à Mose & ex legibus Mosis erecta & constituta: quam rem cum jam viderit doctissimus N. T. interpres HAMMONDUS, pluribus probare nolumus, pauca tantum ejus verba excerpemus: *Id de quo disceptabant Angelus & Diabolus, erat INSTAURATIO HIEROSOLYMAE, & publici cultus divini apud Judæos in illa Vrbe, quod est etiam argumentum illius visionis. Hoc autem vocatur CORPUS JUDEORUM* II. MACCAB. XV, 12. ubi legimus: *Oniam orasse pro toto Corpore Judæorum. Ac sanc eo nomine æque commode potest vocari, ac Christiana Ecclesia, vel cœtus Christianorum, Christi colendi causa conveniens vocatur CORPUS CHRISTI* I. COR: XII, 20. 25. 27. Ephes. I. 23. IV, 12, 16. Col. I, 18. *Judaicus cultus nitebatur legibus latis a Mose, quasi Principe vel Capite, secundum Deum, populi Hebræi. Cætera legantur apud ipsam Hammondum.*

§. XXVII.

AD confirmandam hanc sententiam hoc unicum tandem observabimus; videlicet quod Judas scripsit: *Ejusdem argumenti continuatio.*
 Michaëlem τῷ διαβόλῳ διακρινόμενον διαλέγεσθαι περὶ τῆς Μω-

σέως σώματος. Διαλέγεσθαι proprie notat differere. Igitur de corpore Mosis Angelus differuerat. At quæso de *Cadavere Mosis* differendum erat? Diabolo corpus poscenti neganda petitio, non pluribus fermocinandum, cum nulla sana ratio dari possit, quodnam argumentum dissertationis Angelo vel Diabolo *Cadaver Mosis* suppeditare potuerit. Sic, ut tandem claudamus, vidimus, Judam nostræ sententiæ de resurgente é mortuis Mose non contradixisse,

§. XXVIII.

*Obiectio IV.
de Christo
primogenito
mortuorum
proponitur.*

DISPICIENDUM nunc est, ne Christo Servatori generis humani per resurrectionem Mosis quidpiam derogetur. Ille enim cum dicatur I. Cor. XV, 20. ἀπαρχὴ τῶν κοιμημένων, *Primitiæ dormientium* & Col. I, 18. ἀρχὴ πρωτότοκος ἐν τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, *PRINCIPIUM, & PRIMOGENITUS ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primarius, & Apoc. I. 5. ὁ πρωτότοκος ἐν τῶν νεκρῶν mortuorum PRIMOGENITUS*, hinc haud spernendæ objectionis adversus nostram sententiam materies subnascitur. (IV) Sic enim argumentantur: Si
 „Christus omnium primus exuta mortis potestate cælum
 „ingressus est, utique nemo ante illum eandem sibi glori-
 „am vendicare debet. Exemptos quidem nonnullos ex
 „imperio mortis ante Christi resurrectionem legimus; sed
 „eosdem rursus lege naturæ sub potestatem mortis concessisse cognovimus. Et quæ de sanctis, patiente Jesu è
 „sepulcris exeuntibus, reperimus, per prolepsin commemorari ex circumstantiis facile eruitur. Nemo igitur præ-
 „ter Mosen relinquitur, qui de his titulis Christo controversiam movere potest. Statuamus ergo potius, Mosis
 „animam tantum apparuisse, ut honor Christo suo salvus
 „maneat.

§. XXIX.

§. XXIX.

ROBORE suo non destituitur argumentatio ; sed non est, quod desperemus. Habemus in promptu, quæ æquis lectoribus satisfaciunt. 1) Mosis resurrectionem Christi dignitati nihil derogare contendimus, non solum quia Ecclesiæ V. T. ante Christum plane ignorabatur, sed & quia Mosis tantum *propter Christum* ille honor evenerat. Jam propter quem aliquid alicui datur, ille de sua dignitate nihil amittit. 2) Si strictissime verba allegata de Christo ex mortuis primum ordine temporis resuscitato & in cœlum ingresso exponantur plane hæremus. Nam & ante Christum nonnullos mortuorum numero per Prophetas & ipsum Christum exemptos, & ante Christum Enochum atque Eliam sedem beatorum ingressos scimus ac tenemus. Licet igitur concedamus, nullum mortalium ante Christum utroque simul honore mactatum esse, exempla tamen, quæ allegavimus, semper obstabunt, quo minus dicere possimus, Christum ordine temporis primum mortis potestatem exuisse, & primum sedem inter Cœlicolas gloriosam obtinuisse.

§. XXX.

3) SED ut scopum propius tangamus, paulo accuratius in verborum significationem ἀπαρχῆς & πρωτότης, quæ Christo dantur, inquiramus, & iisdem lucem ex V. T. consuetudinibus, unde desumuntur, lucem accendamus. ἀπαρχῆ igitur ראשית seu PRIMITIÆ erat pars quedam frugum, Deo offerenda, cujus beneficio reliquæ fruges sacre & ad usum fructum idoneæ efficiebantur. Talis ἀπαρχῆ e. g. erat Manipulus Paschalis, dictus LEVIT: XXIII, II. ראשית קציר primitiæ Messis, qui ex proventu novo illius anni die Paschatis secundo in Templo offerri debebat, & an-

Respondetur ad proximam objectionem.

Declaratur, quare Christus vocetur primitiæ dormientium.

& ante cujus oblationem de novis frugibus comedere nemini permittebatur. Jam minime requirebatur, ut Manipulus ille ex frugibus, ante omnes alias maturitatem consecutus, decerperetur; cum evenire potuerit, praesertim quando in anno intercalari Pascha longe ultra æquinoctium portendebatur, ut fruges aliorum agrorum citius maturefcerent, quam illius qui Manipulum suppeditabat. Quo ipso tamen Manipulo de dignitate sua nihil decebat, quia fruges non per maturitatem, sed per hujus oblationem consecrationem suam consequebantur. Christus ergo dicitur ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων DORMIENTIUM PRIMITIAE, non quia primus omnium e sepulcro exiit, sed quia per ipsum, perque ipsius e mortuis resurrectionem mortalium corpora sanctificantur, ut ad æternam vitam resurgere possint. Quod si enim Christus non e mortuis exiisset, omnibus æterna morte fuisset pereundum. Christo igitur vitam debent, qui & ante Christum & post Christum mortis imperium evaserunt.

§. XXXI.

Exponitur
ratio cur
Christus no-
minetur
Primogeni-
tus Mortuo-
rum.

JAM quis non videt alteri nomini, quo Christus vocatur πρωτότοκος τῶν νεκρῶν, PRIMOGENITUS MORTUORUM ex jure veteri quoque lucem accendendam. Ab antiquissimis temporibus *Filio* quem Parentes *primum* ediderant, singularia privilegia concedebantur, tanquam in quo honor & decus totius familiae resideret. Ceterum in jure primogenituræ plerumque quidem temporis ratio, sed non semper habebatur. Neque enim lege immutabili filius primum editus privilegiis, quæ diximus gaudebat. Ea & in digniorem aliquando conferebantur, & pro lubitu quoque in alium transferri poterant. Sic *Ismael* procul dubio *Abrahami* erat primogenitus, jus ta-

men

mèn primogenituræ *Isaaco* reservabatur poscente *Sara*,
 ut *Ismael* cum matre ejiceretur. *Rubenem* porro *Jacobus*
 primogenitum suum vocat GEN. XLIX. & nihilominus
 jus primogenituræ eidem ablatum in *Josephum* transtulit.
 I. Chron. V, 1. Porro *Esavum* primogenituram suam *Jaco-*
bo vendidisse notius est, quam ut hic memorare debea-
 mus. Hinc satis patere credimus, primogenitum non sem-
 per ordine aut tempore priorem esse debuisse, sed aliquando
 cæteris digniorem & meliorem. *JESUS* igitur *Servator*
 „*noster*, dum πρωτότοκος τῶν νεφελῶν appellatur, nihil aliud
 „innuitur, quam *Jesum* Fratrum suorum esse dignissimum,
 „in quo unice totius Ecclesiæ seu Familiæ fidelium honor
 „& gloria resideat, & propter quem fiat, ut fideles quo-
 „que ad æternam hæreditatem admittantur. Sic ergo *Ti-*
tuli hi honorum *Christo* attributi Resuscitationi *Mosaicæ*
 nihil detrimenti afferunt. *POLYCARPUS* Sanctus *Smyrnen-*
sium Episcopus, cum *Romæ* (uti *EUSEBIUS* narrat *Hist.*
Lib. IV Cap. XIV.) aliquando versaretur, & obvium haberet
Marcionem hæreticum, salutanti & petenti, ut se agnosceret,
 respondisse fertur: Ἐπιγνώσκω τὸν πρωτότοκον τῆ Σατανᾶ.
 Cognosco Te *SATANÆ* PRIMOGENITUM. Sancti *Mar-*
tyris mens non erat, ante *Marcionem* neminem existitisse
 aut hæreticum, aut *Satanæ* deditum, sed *Marcionem*
 hunc hæreticorum omnium facile posse principem vocari,
 utpote qui duplex rerum principium statueret. Magnam
 lucem hæc vox *Polycarpi* nostræ explicationi affundit.
 §. XXXII.

NEMINEM autem moveat, quod *COLOS. I.* legitur *Expenditur*
 ἀρχὴ πρωτότοκος q. d. principium, primogenitus, quo ipso *loc. Coloss. I.*
 adstruatur, *Christum* omnium primum etiam tempore debu-
 isse ex mortuis exire. Nam α) *asynдетон* hic fere omnes in-

D

terpre-

terpretes deprehenderunt, supplendum per particulam copulativam καί, Ἀρχὴ καὶ πρωτότοκος. β) In nonnullis exemplaribus legitur ἀπαρχή. γ) Ἀρχὴ denique pro ἀπαρχή interdum usurpari, viri docti probatum dederunt. Igitur Apostolus ad *Colossenses* nihil aliud scripsit, quam quod jam Corinthiis affirmaverat; „Jesum Christum esse „Primitias, per quas omnis familia fidelium sanctificetur, esse Primogenitum, per quem omnes æternæ beatitudinis hæredes evadant.

§. XXXIII.

*Objectio V.
de silentio
scripturæ
solvitur.*

SOLVENDUM nobis relinquitur ultimum dubium (V), quo soluto depugnatum erit. Cum enim hæc *Mosis Resuscitatio* res sit procul dubio notatu dignissima, quæ fiat, ut omnes sacri scriptores de ea in tam altum ac profundum descendant silentium, ut nihil plane ejus memoraverint, neque eo saltem loco, ubi maxime ejus meminisse debuerint. Ad hanc oppositionem dupliciter respondemus. Primo conditionem Ecclesiæ Judaicæ postulasse, ut hæc Mosis resuscitatio, quantum fieri posset, absconderetur, ne scilicet Judæi vim Legi salvificam adscriberent, ut jam superius meminimus.

§. XXXIV.

*Ejusdem
Argumenti
continuatio.*

SECUNDO multa observatu & notatu dignissima contigerunt, a Scriptoribus Sacris silentio involuta, iis maxime locis, ubi commemorari debuerint, quæ contigisse re vera, aliunde vel cognoscimus obiter memorata, vel per conjecturas discimus. Horum exempla quædam illustria in medium producemus, ut responsionis veritas tanto manifestior appareat.

„I. ENOCHUM de magno quodam Dei judicio vaticinatum nesciremus, nisi id JUDAS nobis EPIST. COM.
„14. velut in transitu commemorasset. 2. Ne-

„ 2. Neque NOACHUM præconibus veritatis inferruissimus, ob Mosis silentium, nisi PETRUS disertis verbis 2. Epist. II, 2. eundem δικαιωσύνης κήρυκα *justitiæ præconem* vocitasset.

„ 3. Moses nullibi scripsit, quot annos apud Jethro-nem in Midianitide habitaverit; totos annos XL. Mosen ibidem substituisse STEPHANUS demum quasi per transsennam indicat Act. VII.

„ 4. Porro ISRAELITAS in Ægypto ante exitum Idololatrias crimine se se polluisse non ex Mose, sed ex Ezechiele cognoscimus Cap. XX, 7. 8.

„ 5. Neque Moses nobis quidpiam de Idololatria Parentum *Abrahami* retulit; ex ultimis JOSUÆ verbis hoc demum deprehendimus Cap. XXIV. 2.

„ 6. Ignoraremus nomina MAGORUM *Mosi* in Ægypto obsilentium, nisi PAULUS Apostolus illorum nominibus memoriam conservasset.

„ 7. Quis quoque ex Mose didicisset, Israelitas in deserto Infantes suos MOLOCHO combussisse. Sed hoc clarissime & Amosus c. V. & Ezechiel c. XX. 31. & Stephanus VII. iisdem exprobrat.

„ 8. BILEAMUM pessimum Moabitarum Regi de corrupendis Israelitis consilium suggestisse, non ex Mose Num. XXIV, 25. ubi deberet, sed aliunde & perfuntorie cognoscitur Num. XXV, 18. Num. XXXI, 16. Apoc. II, 14.

„ 9. Quum captiva circumduceretur ARCA JEHOWÆ, mures quoque insignem noxam Terræ Palaestinae intulisse nescivissemus, nisi de donariis Arcæ addendis Palaestini cogitassent I. Sam. VI, 5.

„ 10. ACHASUM Regem SOLARIUM Hierosolymis erexisse ex miraculo, in gratiam Hiskiaë edito, obiter edocemur.

„II. ARCAM FOEDERIS, in destructione Hiero-
 „solymæ, per Nebucadnezarein facta, periisse, conjecturis
 „quidem haud fallacibus assequimur; sed nullibi verbo
 „ejus rei meminerunt sacri scriptores.

„I2. Christum NAZARENI nomine in Veteri Testa-
 „mento fuisse cognitum MATTHÆUS tradidit; Nazare-
 „ni tamen nomen de Christo usurpatum in V. Testamen-
 „ti scripto ullo non legimus.

§. XXXV.

Epilogus.

EN tibi exempla duodecim, quibus plura addere
 possemus, si opus esset, sed quibus credimus evictum esse,
 se, scriptores sacros non omnia memoratu digna locis suis
 memorasse. Cum igitur ex apparitione Mosis in monte,
 quo Salvator Apostolis suis gloriæ suæ specimen edebat,
 satis elucescat, Mosen mortis imperio non amplius sub-
 fuisse, cum porro demonstraverimus, neque sepulturam
 Mosis ultimo Deuteronomii capite memoratam, neque
 certamen Diaboli de corpore Mosis, cujus Judas memi-
 nit, neque titulos Servatoris Nostri, neque denique silen-
 tium Scripturæ nostræ sententiæ obsistere, credimus &
 statuimus, MOSEN STATIM POST MORTEM, MORTI ITERUM

EREPTUM, ÆTERNÆ GLORIÆ CONSORTEM CORPORE PA-

RITER AC ANIMA FACTUM ESSE. ΟΙΙΕΡ

ΕΔΕΙ ΔΕΙΞΑΙ.


COROLLARIA.

I.

Resuscitatio Mosis resurrectionem mortuorum valide
 adstruit.

II.

Deus ad servanda Præcepta sua nos tanto magis o-
 bligat,



bligat, quanto magis in iis tradendis non nisi salutem ac beatitudinem nostram respexit.

III.

Deus cum omnia sciat eaque uno statim intuitu, ita omnia etiam sapientissime ordinavit quæ futura sunt, ut ista certitudinem suam per divinam voluntatem acceperint, non autem fatalem necessitatem.

IV.

Moses omnium est scriptor antiquissimus, & propterea vetustissima primorum temporum historia ex illo solummodo pernoscenda.

V.

Diluvium Noachicum non partem tantum terræ, sed totum terrarum Orbem, quam late patet, inundasse statuimus.

VI.

Quatuor vulgo ita dictas Monarchias, utpote monumentis historicis S. Scripturæ contrarias, rejiciendas putamus.

VII.

Incertum est Constantinum M. primum per apparitionem crucis ad Christianam religionem perductum fuisse; Cui tamen si fides dabitur, crux pro parhelio haberi possit.

VIII.

Injuriam faciunt Constantino M. qui non Christianum, sed Hypocritam eum dicunt, atque ex meritis rationibus politicis religionem Christianam amplexum fuisse asserunt.

IX.

Paulum quanquam de matrimonio dubie scripsisse videatur, prætulisse tamen matrimonium cœlibatui, si circumstantiæ permetterent, putamus.

X.

Et si rerum naturalium cognitio a revelationis dog-

matibus est distincta, veritas tamen naturalis supernaturali minime adversatur.

XI.

Gentiles si ideam Dei, quæ omnibus hominibus est communis, probe excussissent, in idololatriam non incidissent.

XII.

Herodianos, quorum mentionem faciunt Evangelistæ, non ita dictos existimamus, quod Herodem Magnum pro Messia habuerint, quæ plerorumque est sententia;

XIII.

Sed quod Eum coluerint & magni fecerint, tanquam Autorem suæ sectæ, ex Judaismo & Gentilismo constata.

XIV.

Genealogiæ Christi a Matthæo & Luca relatæ, diversæ sunt, cum hic a Mariæ Patre Elia, ille a putatitio Christi Patre Josepho eam deducat.

O Dux Isacidum, MOSES, o fide Minister
 Numinis, & Gentis gloria prima tuæ!
 Te plures voluere cavo tumulare sepulcro,
 Et tua non notis ossa tenere locis.

At postquam JESUS, Summi Patris Unica Proles,
 Æterni nobis fons & origo boni,
 Corpore Te vivum, Divûm splendore micantem
 Discipulis quondam prodidit esse suis;
 Ille Tibi tandem revera justa peregit,
 In Cœlo Corpus qui docet esse tuum.

JOHANNIS PHILIPPI HEINII,
 Prof. Reg. Hist. Sacr. J. G. J. R.

Ex-

3
3
3
37

EXagitata diu, multis memorataque scriptis,
Sub Criticis pendet quaesio iudicibus:

Ignoto Moses redivivus funere quondam
Rursusne ad vitam corpore prodierit?
Quam dum jam solvis, solidis rationibus utens,
Ingenium magnum pandis, Amice, Tuum.
Gratamur Tibi nunc animo, cœptisque precamur
Successus latos ac bona cuncta tuis.

In testimonium amicitiae apposuerunt Fratres
G. & O. C. MATTHIÆ, LL. CULT.

Arte quid in Critica valeas, quid Codice sacro
KLEINSCHMIDI hoc specimen satq; superq; probat.
Perge, velut pergis; nam sic post tempora pauca
Fulgebit magno nomen honore tuum.

Amicitiae ergo posuit
C. LUDOVICUS GESE, LL. CULT.

4
4

So Fleiß und kluger Wiß zur Reiffe hat
gebracht,
Das zeigt sich der Welt, noch vor dem
Herbst der Jahre:

So bald vom Bienen Heer nur Zellen sind gemacht,
So geben sie auch schon der Blumen süße Waare.
Du legst **D** treuer Freund! ist Deiner Jahre
Zoll,

4

In einer solchen Schrift, der ganzen Welt vor Augen,
Die zwar von Knoten frey, doch edler Weißheit voll,
Darinn die Neider selbst nichts zu censiren taugen.
Drum da Dein Wissen sich nie in verstelltem Dunst,
Nach Thorheits vollen Bahn der Eitelkeit verhüllet,
Was Wunder, daß daher der Mæcenaten Gunst,
Als Deines Fleißes Gold, so milde auf Dich quillet.
Wolan

Wolan so müsse sich des Glückes Sonnen-Schein,
In holder Strahlen Pracht, noch ferner bey Dir
mehren;

So wird mein schlechter Wunsch nicht unerfüllet seyn,
Wenn Dich der Himmel wird mit frohen Ja beehren.

Mit die'm Wenigen wolte dem Autori Wohlz
meinend gratuliren dessen ergebenster

SAMUEL BOSSE,
Jur Stud. Burgo-Magd.

Quid ista tentas FRATER & Sacri Ducis
Abra Nepotum nunc sepulcrum discutis?
Caterane, Divus Sacra quæ promit Codex,
Minora curis aestimas Solers tuis?
Non ista credam; namque jam dudum scio,
Omnia sciendi cura sit qualis Tibi.
Hinc evagatus mente solerti Sacra
Per Scripta vatum es, nec minor fuit Tibi
Ardor legendi, quæ profana condidit
Antiquitas, serum latura seculum;
Sed quod Judæis a Deo dati Ducis
Sepulcrum obscurum examinas, & publico
Eruditionis specimen hoc donas Tuæ:
Laudanda peragis, namque sic fidelibus
Proponis æternæ beatitudinis
Emplar atque certum testimonium.

*Fratri Dilectissimo hoc voluntatis sue
monumentum posuit*

Marburgi Cattorum
d. 9. Sept. 1723.

JUSTUS HERMANNUS KLEINSCHMID.

Phil. ac Theol. Cult.

✻ (o) ✻

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de sacrificio Misae
3. Gaffius de S. Coena.
4. Werenndorf de S. Coena.
5. ~~Id.~~ de S. Coena.
6. ~~Id.~~ de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de iure excludendi à S. Coena.
10. Lritius de Pelagianismo.
11. Holzfus de quatuor Novissimis.
12. Gerharde de Appellatione ad Supremum Iudicem.
13. Graun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzi disquisitio num muribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelstiae.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Lorius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werenndorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Larosismo abs. Decreto.
22. Dithmar de Concubinato à Xto prohibito.

Wernsdorff de Polygamia.

Hulsius de turpitudine incestae

Clacofeni animadversiones.

Zudens de poena damnatorum officienda.

Wolle de Interitu mundi.

Heltthemius de Justificatione.

Mieg de pariete intergerino.

Mosheim de tribus in terra testibz.

Heidenus de Mosi resuscitacoe.

Neubauer de Corpore Mosi.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Alfius de Evangelio.

monis de ratione

ollius de Theologia.

ampe de Inspiratione et

imesius de Canonibus Apostolorum.

ajus de unico S. S. principio.

Alfius de S. S.

gstu Disertacoe de fundamentis Revelacoeis

man de Divinitate Spiritus



